Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 937
Quelle:
Copyright:

poteſtatis &c. ſequatur, *Dialogus* tamen inter *Diſcipulum* et *Magiſtrum*, qui illa excipit, et infit: *Fratres in domo dei cum conſenſu ambulantes* &c. nequaquam eſt *Iſidori*, ſed *Honorii Auguſtodun.* Patet id cum ex *Diſcipuli* verbis mox ſubjunctis, quibus ad *Magiſtrum* ait: *Qui* (Deus) *ob genitricis ſue merita tot eis in* canticis *de ea per te reſerauit myſteria. Ob hanc cauſam et ob alia, que multis incognita* elucidans *in laudem eius addidiſti* &c. Conſtat vero, *Honorium* et Expoſitionem in *Cantica* titulo *Sigilli S. Mariae*, et *Elucidarium* ſcripſiſſe, tum ex Codicibus *mſſ. Honorii* nomen praeferentibus, quales fuere *Brunwylerenſis* et *S. Pantaleonis*, item *Tongerloenſis.* Atque e duobus quidem prioribus *Dialogum* noſtrum primus protraxit *Georg.* ille *Caſſander* typis *Colon.* 1552. 8. inſcriptum *de Praedeſtinatione et libero arbitrio*, ſubpreſſo *Inevitabilis* nomine, quod illi indi Autor ipſe in Peroratione voluit; e tertio autem illum repraeſentavit *Antverpiae* 1620. et 24. 8. *Joh. Conen* Canoniae illius Prior, unde in Bibliothecas PP. tranſiit, et legitur edit. *Lugd.* T. XX. p. 1128. Si *Fabricii* in *Bibl. med. Lat.* L. VIII. edit. *Manſ.* p. 278. λαχωνισμον audias, *in Caſſandri manes injurius* fuit *Johannes Conen;* aſt ſi hujus textum Codice noſtro fultum cum *Caſſandrino* conferas, haerebis enim vero, nec optima fide *Caſſandrum* egiſſe comperies. Non eſt inſtituti mei, quod et alias monui, Exempla integra inter ſe contendere, ſufficiat indicaſſe, *Caſſandrum* ſtatim ab exordio inter verba: *injuſte puniri putantur*, et: *Vnde rogo te de hac re latius diſſerere* &c. 47. lineas edit. *Pariſ.* 1616. Opp. in *fol.* interſerere, paullo poſt a verbis: *quia auxilium meum a Domino*, in omnia alia abire, demum ſub finem a verbis: *ideo illi ſpectaculo te intereſſe concedat Deus*, usque ad verba: *Hec de predeſtinatione et preſcientia et libero arbitrio defer filiis eccleſie* &c. doctrinam *Honorii*, vel ſuam potius, aliter colligere, quam quidem in Codice *Tongerloenſi* et noſtro legatur. Atque huic conſilio ſuo Vir callidus et temporibus ſerviens praeſtruxiſſe videtur, Exemplaria ſua in *Praef.* accuſando, dum illud S. *Pantaleonis acephalum* vocat *ac ſcriptum negligentius et impolitius, ſed quod tamen nonnullis in locis exemplaris noſtri hiatus quosdam ſupplevit et mendas correxit* &c. Melioris ſane conditionis ſunt Codices, quos hactenus illi obpoſui.

III. *fol.* 65. p. 2. *Incipit yſidorus de ordine creaturarum.* Praeit Elenchus Capp. XIV. quorum I. *De fide trinitatis* incipit: *Uniuerſitatis diſpoſitio bifaria ratione debet intelligi.* Opuſculum theologicophyſicum a nemine, quod ſciam, hactenus indicatum. Autor ita perorat: *Ecce venerabilis pater de ordine Creaturarum tibi proponenti iuxta ingenioli mei modulum compendioſo ſermone ſummatim reſpondendi ramuſculi* (ſic) *mercedem omnibus tuis compenſabo. — Hanc igitur et tu ſimili modo mee par-*